

et maximam auctoritatem habet, quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet, unde magis standum est auctoritati Ecclesiæ, quam Augustini, vel Hieronymi, vel cujuscumque doctoris. » Ubi rationem ipsam D. Thomæ insinuat, quia Ecclesia habet auctoritatem, et magisterium supra omnes doctores, omnes enim potest corrigere, et docere, ergo iudicium Ecclesiæ, seu capitis ejus, qui est Romanus Pontifex, quando ut Pontifex loquitur, et pascendo Ecclesiam in re gravi, et ad doctrinæ discretionem spectante (sicut ostendimus loqui in præfatis decretis) debet præferri iudicio omnium doctorum, licet non definiendo de fide, sed approbando doctrinam, et eam toti Ecclesiæ proponendo procedat. Quod autem Ecclesia sic censeat de doctrina D. Thomæ sicut in majori proposuimus, constat ex dictis articuli præcedentis, tum quia universalis Ecclesia postulat a Deo intelligentiam doctrinæ D. Thomæ, tum quia testimonia Pontificum id dicunt aperte, præsertim Joannis xxii, Pii v, Clementis viii, etc. ergo dicendum est hanc approbationem singularem conferre excellentiam doctrinæ D. Thomæ et præferre eam aliis, de quibus similia non dicit nec explicat. Et addi potest hic dictum Innocentii vi, supra relatam, et approbatum articulo præcedenti : « Quod hæc doctrina habet præ cæteris proprietatem verborum, modum dicendorum, veritatem sententiarum ita ut nunquam qui eam tenuit inveniatur a tramite veritatis deviasse. » Ubi Pontifex nostram conclusionem singulariter docet, præfert enim doctrinam S. Thomæ cæteris in proprietate verborum, in ordine, in veritate sententiarum, quod est approbare illam ut cæteris convenientiorem, et veritati magis consonam, et sine errore scriptam,

cum non erret, qui eam sequitur. Cui Clemens viii, consonat dicendo : « Quod absque ullo prorsus errore conscripsit. » Similiter cum Urbanus v, iungit Tolosanensis sectari hanc doctrinam, ut veridicam et catholicam, plane confirmat nostram conclusionem, quia doctrinam D. Thomæ dum veridicam proponit Tolosanensis, et in illis omni Ecclesiæ, quia quod est veridicum uni, est veridicum omnibus, sine dubio oportet, quod talis doctrina saltem in quantum doctrina, id est, ut probativa et manifestativa veritatis (id enim est esse veridicam, id est, veri manifestativam) habeat ex modo suo manifestandi, et probandi unde ab omnibus sectari possit, et consequenter præferri, his quæ simili modo approbata non sunt.

Secundo, probatur conclusio, quia non solum negative, scilicet ut carens errore (quod tamen stare non potest sine positiva veritate) sed etiam positivo modo approbatur a Christo, et ab Ecclesia. Nam Christus Dominus dicit : Bene scripsisti : Ecclesia acceptat hanc traditionem, seu factum, et ulterius dicit, quod non sine speciali Dei infusione doctrinam suam perfecit (ut Joannes xii) et quod est certissima regula doctrinæ christianæ, ut Pius v; ergo positive præferenda est omnibus. Probatur consequens nam in illo testimonio Christi, magnum aliquid attributum esse doctrinæ D. Thomæ docet Clemens viii, in bulla i ad Neapolitanos : « Cujus doctrinæ tantum fuit tributum, ut eruditionis suæ christianæ etiam divinum illud testimonium habeat : « Bene scripsisti de me, etc. » Et constat, quia illis verbis significavit Christus Dominus rectum, et verum iudicium, saltem in ratione discursus, et doctrinæ, id est, probativæ cognitionis procedendo, sicut cum dixit Simoni : *Recte judicasti*, Luc. vii, et Sa-

maritanæ, Joan. iv : *Bene dixisti, quia non habeo virum*, significavit rectum, et verum iudicium, seu dictum, discursu tamen humano ab illis factum. Unde non potest hic responderi Christum solum dixisse, quod bene scripserit, non quod vere; nam in his, quæ ad ly bene significat perfecte, et convenienter dictum, non potest autem convenienter, et perfecte dici, quod falso dicitur, aut erronee, aut minus probabiliter, ergo oportet, quod sit convenienter, et vere dictum. Et præterea quia si bene scripsit D. Thomas, ergo oppositum, et contradictorium ejus non potest dici bene scriptum, ergo oportet quod sit ad minus certior et convenientior sua doctrina, quam ejus opposita. Et hoc solum nos volumus, nam respectu doctrinæ sibi non oppositæ, non est quod sit melior. Quod vero addit Christus : Scripsisti de me, universa quæ ad theologiam spectant comprehendit, omnia enim ordinantur ad Christum, sive ratione divinitatis tantum, sive ratione mysterii incarnationis. Unde Clemens viii, doctrinam christianam Div. Thomæ dixit hoc habere testimonium, et in alia bulla dixit libros D. Thomæ expressa Christi Domini voce approbatos esse, ergo de omnibus intelligitur, quia omnia ad Christum referuntur, et ordinantur.

Reliqua vero testimonia Pontificum etiam prælationem, et excellentiam hujus doctrinæ præ reliquis, præsertim præ his, quæ illi sunt contrariæ satis manifeste probant; nam Pius v, dicit : « Esse certissimam regulam christianæ doctrinæ, » ergo inter christianas doctrinas est excellentior; ly enim certissima, et ly regula non potest nisi de suprema, et excellentiori verificari. Similiter cum Joannes xxii, dicat : « Non sine divina infusione

esse perfectam, » manifeste illam elevat super omnes alias doctrinas simili infusione cœlesti non suffultas, ergo præ illis necessario debet esse convenientior, et excellentior, aut hoc testimonium non subsistit. Quod si des mihi aliam doctrinam infusione cœlesti perfectam, de illa non loquor; sed talis non erit contraria Div. Thomæ sicut sunt plura ex sanctis patribus, quibus Div. Thomas nunquam contradixit, sed sensum submisit. Non potest autem esse excellentior, et convenientior doctrina, nisi in suo gradu sit certior pro veritatibus certis, et probabilior pro probabilibus, et pro omnibus convenientior; et veritati in hærentior.

Dices : Hanc rationem nimium probare, nam si ista omnia in rigore sumantur, doctrina D. Thomæ erit canonica, et quicumque ei contradixerint erunt vel hæretici, vel suspecti de errore, quod absurdissimum est, cum Ecclesia sustineat, imo et approbet plures alias doctrinas, quæ doctrinæ Div. Thomæ non conformantur, sicut S. Bonaventuræ, quæ a Sixto v, approbata est non minus, quam D. Thomæ et tamen non in omnibus sequitur D. Thomas. Et similiter Scotus, Durandus, alique plures auctores, tam hujus temporis, quam antiqui passim approbantur, nec tamen sequuntur semper doctrinam Div. Thomæ. Respondetur in primis non reddi canonicam doctrinam D. Thomæ ex eo quod a Christo Domino bene scripta dicatur. Nam ut esset canonica deberet a Spiritu Sancto dictari, non vero solum approbari postquam scripta est. Nam approbari potest, etiam quod sine Spiritu dictante, sed solum dirigente, vel auxiliante factum est, dummodo recte factum sit in suo ordine, id est, in ratione doctrinæ humanæ. Unde a Christo approbata est tamquam

humana doctrina, et discursu humano facta, licet quoad modum ex speciali Dei motione, aut infusione. Sicut cum Christus dixit Samaritanæ: *Bene dixisti*, non sequitur, quod Samaritana quando id dixit, Spiritu Sancto dictante dixerit, sed solum movente. Et cum Paulus approbavit dictum Epimenidis ad Titum 1: *Cretenses semper mendaces*, et dixit: *Testimonium hoc verum est*, et iterum Actorum xvii citavit dictum Arati: *Ipsius enim et genus sumus*, non efficit hæc approbatio ut illi auctores, quando dixerunt canonici scriptores fuerint, sed approbata est illa veritas tamquam una ex veritatibus naturaliter dictis. Et licet qui modo diceret illud testimonium Epimenidis non esse verum non contradiceret Epimenidi tantum, sed Apostolo, ideoque ex hac parte esset hæreticus, tamen quia approbatio Christi Domini, et Apostolicæ Sedis non est circa aliquod dictum, vel propositionem in particulari, sed circa rationem generalem doctrinæ, non reddit canonicam quamlibet veritatem, seu dictum D. Thomæ, sed potest intelligi, quod commendat ipsam doctrinam quoad modum, probabilitatem, et certitudinem procedendi, in quo omnes complectitur propositiones, ut nulla sit erronea, vel indefensibilis, quia hoc contradiceret modo recte procedendi, non tamen ut omnes reddantur veritatis infallibilis. Secundo, addimus, quod licet sic approbaverit Christus, non tamen ipsa approbatio Christi est definita, ita quod sit de fide id dixisse Christum, licet historia illa ab Ecclesia sit recepta, ideoque non reddit de fide doctrinam approbatam ab eo, licet maxime commendabilem, sicut etiam Ecclesia aliquando suo examine approbat revelationes aliquas speciales, ut supponitur in Concilio Lateranensi sub Leone x, sess. xi, et tamen non defi-

nit, quod sunt revelatæ a Deo sed permittit illas, licet non definiat. Tertio, dicitur quod Christus non approbavit illam ut veritatem credendam, sed ut doctrinam, id est, ut cognitionem probativam, et discursu humano procedentem. Unde in genere probativæ cognitionis, et doctrinæ habet summum locum, non tamen in ratione veritatis simpliciter credendæ, sicut canonica Scriptura requirit, sed quantum illa ratiocinatio, et discursus patitur. In quo tamen propter suam profunditatem, licet non semper a nobis penetretur, intelligendum est veriore doctrinam latere, quia ut bona doctrina, et discursus a Christo approbatus est. Et quia doctrina ista constat ex divisis partibus, quædam enim habet ut opinativa, quædam ut certa, quædam ut conjecturalia, approbatio quæ cadit super illam, ut doctrina probativa est, et omnes istos modos probationis continet, omnes approbat in gradu, et ordine suo, ac proinde in quolibet gradu tamquam excellentior habenda est, et magis probata, qua ratione videtur potius dixisse Christum Dominum: *Bene scripsisti, quam vere, ut omnem modum doctrinæ in ratione, et qualitate doctrinæ comprehenderet. Et approbationem Ecclesiæ non semper cadere super veritatem, sed super probabilitatem doctrinæ, constat ex Clementina unica de summa Trinitate ubi approbatur tamquam probabilior sententia, quæ virtutes docet infundi in baptismo. An vero alia doctrina ita sit approbata ab Ecclesia sicut doctrina Div. Thomæ dicemus in sequenti articulo solvendo argumenta.*

Sed inquires, an saltem ex vi harum approbationum, censuram aliquam mereatur, contradicere doctrinæ Div. Thomæ? Respondetur rem hanc non esse nimis urgentem, quia censuræ, et comparatio-

nes semper odiosæ sunt. Ut tamen etiam in his lectori ex parte satisfaciamus.

Dico tertio: Qui ex contemptu D. Thomæ doctrinam dehonestaret conviciis, aut passim affirmaret ipsum habere propositiones erroneas, aut indefensabiles (quod non sine irreverentia tanti Magistri sit) non evaderet censuram aliquam, vel temeritatis, vel injuriæ in iudicium et approbationem Ecclesiæ. Qui tamen sine irreverentia, vel contemptu, sed ex alio motivo D. Thomæ doctrinam deserit, et aliam sequitur etiam oppositam nullam censuram meretur, sed unusquisque in sensu suo potest abundare, sicut Scotus in multis D. Thomæ doctrinam impugnavit, sed hoc cum magna modestia, et nulla irreverentia, sola disputatione, nullis aliis verbis agens. Itaque contra irreverentiam cadere potest censura non contra disputationem, vel opinionem.

Prima pars constat, quia Ecclesia iudicio suo, et approbatione magnam venerationem contulit doctrinæ Div. Thomæ, ergo quidquid irreverentiæ, illi irrogatur, contra Ecclesiæ iudicium fit. Itaque contemptus, aut irrisio D. Thomæ quia sanctus, injuriosa est Ecclesiæ, quæ illum canonizavit, ut de se manifestum est, sed etiam irreverentia doctrinæ ejus, quia approbata est, in præiudicium cedit Ecclesiæ approbantis. Nam non potest injuriosum non esse, quod Ecclesia approbat, et tam singularibus encomiis attollit sicut videmus, contemnere, aut reprobare irreverenter, si quidem non acceptatur in hoc iudicium Ecclesiæ, sed deseritur; deserere autem Ecclesiæ iudicium in materia tangente doctrinam, quam ipsa proponit ut approbatam, injuria est Ecclesiæ, et parvipensio, seu vilis æstimatio tanti iudicii, et approbationis, ut si dicente Ecclesia: Sine ullo prorsus er-

rore scripsit D. Thomas aliquis affirmaret, cum aliquo errore, vel aliquid indefensabile scripsit, hæc contradictio ad Ecclesiæ iudicium, injuriosa est. Item per hoc datur hæreticis ansa insultandi nobis, et irridendi Ecclesiam, si doctorem, quem ipsa ut certissimam regulam doctrinæ christianæ proponit, ut clypeum contra tela hæreticorum prædicat, ut doctrinam mirabilem infusione cœlesti perfectam, Christi Domini voce expresse probatam, sine ullo prorsus errore conscriptam, etc. nos ipsi Ecclesiæ filii irreverenter, aut cum contemptu tractemus. Absit hoc a fidelium cordibus. Denique, Ecclesia universalis orat, ut Deus det illi intelligere, ea quæ docuit Div. Thomas, si ergo contemnimus, aut irreverenter loquimur de iis, quæ docuit Div. Thomas, et tamquam indefensabilia, aut erronea aliqua in eo contenta prædicamus, ergo irreverenter tractamus id quod tam anxie Ecclesia postulat a Deo. Ergo hoc in injuriam cedit Ecclesiæ, quæ sibi ut firmissimum propugnaculum contra hæreticos ponit doctrinam D. Thomæ, ideoque eam intelligere postulat a Deo.

Secunda pars conclusionis probatur, quia Ecclesia sic proposuit doctrinam Div. Thomæ sectandam, ut veridicam, et ita illam extollit, quod tamen supponit in ea multa esse, quæ solum ad opiniones scholæ pertinent, et ad disputationes philosophicas vel metaphysicas, ergo licet in his secundum gradum suum doctrina Div. Thomas sit magis probata præ aliis, quæ similem commendationem, et approbationem Ecclesiæ non habent (nulla enim doctrina tantam habet commendationem, ut sequenti articulo dicemus) tamen cum in linea probabilis, et opinativæ maneat, aut certe non definita sit in particulari, nullus obligatur eam sequi, sed sine ulla censura potest

sequi oppositam opinionem, dummodo absit irreverentia, vel contemptus, quia hoc redundat in Ecclesiam. Prætera Div. Thomæ doctrina est valde profunda, conatur enim radices veritatis penetrare, quod maxime occultum, et laboriosum est, ergo non possunt omnes eam intelligere, et consequenter nec sequi, et alias non tenentur credere, ergo ex hoc nihil mali faciunt. Similiter, et de ipsa intelligentia D. Thomæ sæpe controversum est, quo casu non est contra D. Thomam, si quilibet sequatur suam intelligentiam probabilem.

Dices ergo: Tota probatio Ecclesiæ non extrahit doctrinam Div. Thomæ a linea, et gradu probabilitatis, seu opinionis, et ita non magis approbata, seu certa manet ejus doctrina, quam aliorum doctorum, qui oppositum tenent etiam ut probabile. Respondetur sine dubio in doctrina Div. Thomæ non omnia æquali gradu certitudinis constare, sed quædam ut certa, quædam ut opinativa. Sed in his etiam opinativis datur latitudo, et diversitas, quædam enim sunt probabiliora aliis, et magis a periculo erroris remota, et convenientius tradita. Dicimus ergo, quod præ aliis doctrinis præsertim sibi oppositis, hoc amplius sortitur doctrina Div. Thomæ ex judicio, et approbatione Ecclesiæ, quod in suo gradu ut certior, vel melior, et ut convenientior pro doctrina christiana judicatur, et quasi regula aliarum doctrinarum (certissima regula doctrinæ christianæ nominatur a Pio v.) et ut sine erroris periculo sequenda proponitur, quia sine ullo prorsus errore scripta dicitur a Clemente VIII. Commendari autem in securitate doctrinæ, maxima commendatio est, licet aliæ non damnentur ex hoc, neque rejiciantur, sed hæc antefertur. Insanum enim videtur, quod si Ecclesia majoribus

titulis, ac pluribus modis extollit, et approbat S. Thomæ doctrinam, ex æquo admittat, et probet eam, quæ isti contradicit, sic enim destrueret quod ædificaret.

ARTICULUS IV.

Objectiones contra prædicta.

Primo objicitur: Ecclesia non definivit doctrinam D. Thomæ nec aliquem certitudinis gradum ei attribuit, sed solum opinativo modo processit, et laudando illam, ergo non excedit approbatio ista limites approbationis opinativæ. Hoc autem modo etiam multos Ecclesiæ patres, et doctores commendat Ecclesia, et laudat, nec nimis quam D. Thomæ doctrinam, ergo D. Thomæ doctrina non est prælata aliis doctoribus, multo minus patribus, quibus semper inferior est, et sic licet impune eam deserere, et impugnare. Major est certissima, et a nobis admissa, et a tota Ecclesia sic intellecta, alias si omnis doctrina Div. Thomæ esset definita, condemnandi essent tam illustres doctores, et theologi, qui oppositum sequuntur. Minor vero probatur, nam in cap. Gloriosus, de reliquiis, maxime commendatur doctrina sanctorum quatuor doctorum Ecclesiæ, et in bulla Sixti v, pro S. Bonaventura parificatur doctrina ejus doctrinæ D. Thomæ, nec minus quam ipse commendatur, ut constare potest textus ipsos intuenti. Addit Dermicius in sua Nitela, pag. 44. quod si ex approbatione pondus doctrinæ aestimandum est, solus Alexander Alensis omnes superavit, quia ut narrat Possevinus: « Jussu Innocentii IV, summam theologiæ composuit ea methodo qua nemo unquam attigerat, eam autem summam Alexander IV di-

plomate, ac septuaginta virorum syngraphis comprobavit, ut proinde merito irrefragabilis doctor inde salutetur. Quod si Divus Thomas pluribus titulis, modisque laudatur ab Ecclesia id totum per accidens, et materialiter solum multiplicatur, non majorem certitudinis gradum addit.

Secundo, arguitur ex communi usu, et praxi Ecclesiæ, quæ optime suas leges interpretatur. Sic autem doctrina D. Thomæ et S. Augustini approbata est, et acceptata in Ecclesia ut non sit illicitum in aliquo ab ea discedere, cum quotidie videamus multos deserere opiniones D. Thomæ sine ullo scrupulo talium approbationum, et sic tolerantur in Ecclesia, ergo signum est illam approbationem non excedere gradum probabilitatis opinative, et consequenter manere doctrinam in illis terminis quibus ante, et sic non confert approbatio illa quidquam ad certitudinem, sed ad commendationem, et laudem doctrinæ, et sic æque potest teneri sententia D. Thomæ atque opposita. Idem videmus fieri in doctrina D. Bonaventuræ, quæ tamen approbata est a Sixto v, sicut doctrina D. Thomæ. Cum ergo isti s. doctores inter se oppositas opiniones habeant, et uterque sit approbatus ab Ecclesia, manifestissimum signum est tales approbationes non majorem certitudinem præbere, sed ad solam honorariam commendationem.

Tertio, Ecclesia in istis approbationibus non procedit ad aliquas propositiones, vel sententias in particulari, sed indiscriminatim, et in communi omnes libros, omnem doctrinam commendat. At in libris D. Thomæ multa philosophica continentur, multæ etiam quæstiones ad res fidei non necessariae, ut tam multa de habitibus, de passionibus, etc. quæ omnia impossibile est æque

esse approbata ab Ecclesia, præsertim cum non præcesserit singulorum discussio ad talem approbationem ferendam, ergo non videtur intentum Ecclesiæ esse, dare approbationem aliquam quantum ad majorem certitudinem, sed solum aequaliter commendare in excellentia ordinis, methodi, aliisque similibus accidentibus, non in prælatione ad alias aut damnatione aliarum.

Confirmatur quia etiam in c. Sancta Romana xv distinctione plura sanctorum patrum opuscula sic indiscriminatim approbantur, et tamen non ita omnia in singulari dicta censentur approbata, quod non liceat ab eis in aliquo recedere, ut certiora reddantur præ reliquis doctrinis, sed in sua probabilitate manent. Et in v. Synodo generali, collatione III, in fine dicitur: Sequimur per omnia sanctos patres, et doctores Ecclesiæ Athanasium, Hilarium, Basilium, Gregorium theologum, et Gregorium Nyssenum, Ambrosium, Augustinum et suscipimus omnia quæ de recta fide, et condemnatione hæreticorum exposuerunt. Numquid approbatio scriptorum D. Thomæ major est ista? Et tamen inquam, multum discedimus aliquando a sententiis istorum sanctorum in his quæ ad fidem non pertinent? Idem sumitur ex Concilio Lateranensi I, sub Martino Papa, consultatione v, ubi dicitur condemnatum esse verbo, et mente, qui non susceperit omnes sanctas Synodos, et venerabiles patres, cunctaque quæ ab eis pro orthodoxa fide exposita sunt in destructionem omnium hæresum. Et in Concilio Romano II, sub Zacharia, et in Valentino sub Leone IV. similis approbatio datur pro doctrina patrum ut supra articulo primo retulimus. Cur ergo in D. Thomæ doctrina amplius approbationes Ecclesiæ operabuntur, quam in approbationibus sanctorum patrum? Certe ca-